

AN. 532, 42.

D. m. II,

II i
137

Q. D. B. V

INTERPRETEM AC CRITICVM SACRVM

E LECTIONE AVCTORVM CLASSICORVM
FORMANDVM

DEMONSTRAT

S I M V L

ORATIONEM HOFMANNIANAM

IPSO PAVLLI CONVERSI DIE

QVI EST XXV IANVARIII

H. L. Q. C

H A B E N D A M

INDICIT

GEORGIVS HENRICVS MARTINI

A. M. ET SCH. R



A N N A B E R G A E

E X O F F I C I N A F R I E S I A

1872

HERBERT A. CHURCH
LECTURE NOTES

1872

1872

LECTURE NOTES
HERBERT A. CHURCH

1872

1872

1872

LECTURE NOTES
HERBERT A. CHURCH

1872

1872

LECTURE NOTES



Plurimorum, ne dicam, omnium hominum ea est mens, idque in negotiis aut suscipiendis aut administrandis consiliis, ut nunquam non utilitatem aliquam, inde in sese redundantem, spectent, et quibuscum nullos vident sui fructus, commoda nulla coniuncta, ea nec facile aggredi soleant, nec rite exsequi. Quod maxime dubito fortis animi et magni esse, qui in rerum externarum, adeoque suorum etiam interdum commodorum despicientia cernitur, et cui persuasum est, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere. (Cic. Off. I. 10.) Vbi enim in gerendis rebus non nisi utilitates nostras sequimur, valde verendum est, ne virtutem quoque, qua nihil est formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, magis quaestus alicuius causa, quam per se ipsam, diligamus et amplectamur: quod sordidi, siquid intelligo, est animi ac valde humilis abiectionisque, praeterquam commoda sua, nihil amplius sequentis. Quae quamvis ita sint, et laudem mereantur adeo nullam, ut potius vituperari debeant summopere; tamen eiusmodi sordidorum hominum morem sequuntur multi iuvenes, in primis ei, qui sese in studiis humanitatis literarum versari velle profitentur. Qui in praeceptorum disciplinam dati, quoniam pensa omnia, omnibus proposita discipulis, ut ea elaborent conficiantque, non nisi utilitatibus manifestis metiuntur, eorum pleraque conficere atque ea, qua possunt ac debent, industria et cura elaborare nolunt eo, quod ex eiusmodi rebus frivolis leuibusque nullum unquam percepturi essent fructum, et artes multas solummodo in spem, quod aiunt, futurae obliuionis discerent. Haec eorum inertia multum saepenumero augetur nimia parentum indulgentia. Qui homuncionum suorum valetudini timentes, magistros semel iterumque monent et obtestantur, ut quam fieri potest mitissimi atque lenissimi sint erga suos natos, neque pensa iis data nimis seuerè exigant: nolle se, homunculos suos fieri apprimere doctos, et viros *κερῖνωνας*; adeoque non opus esse, ut in literis latinis, nedum graecis, sint exercitissimi, earumque teneant minutias omnes: satis sibi istisque fore, si latina quoquomodo legere atque intelligere possint, nec esse admodum necesse, ut stilum latinum molesta assiduitate colant, quippe cuius facultatem assequi debeant non nisi homines, qui in scholis publicis adhiberi velint, et quorum interfit, libellis ornate eleganterque scriptis famam aliquam aucupari: habere se suosque natos satis aut numerorum iam paratorum, aut praediorum, aliorumue reddituum, vnde viuere possint. Quo fit, ut boni isti homunculi, per se iam satis inertes, multo fiant inertiores: et quanquam velle sese in literis, quae ad humanitatem pertinent, egregie versatos esse dicunt, ac prae se ferunt, tamen ne minimum quidem operae in iis ponunt addiscendis, ac nihil magis detestant, quam librorum graecae linguae scriptorum lectionem frequentem, accuratam interpretationem, prudentemque imitationem. Inde ipsis quam maxime inuisae sunt argutiae, quas vocant, grammaticae, stili minutiae ceterae, et quicquid magistri contra doceant, parentum suorum opiniones praecipitatae maioris sunt apud eos ponderis, quam illorum aut praecepta, aut cohortationes, aut exempla adducta eorum, qui ex frequenti librorum claficorum lectione, stilum gustatumque formarant suum, adeo, ut, quicquid aut dicebant aut scribebant, eleganter ornateque dicerent scriberentque, ac nominis sui adsequerentur immortalitatem. Quare futuri illi theologi (de his hoc tempore in primis disseremus) secum commentantur et disputant hoc fere modo: Nolumus nos aliquando in scholas publicas,

eas, tanquam in pistrinum detrudi ac compingi: igitur non est, cur omnes omnium graecorum poetarum, oratorum, historicorum, philosophorum riuulos consectemur. Eequem inde capiemus fructum, si omnes linguae lat. elegantias, vel nugae potius, satis exacte teneamus, et Ciceronis, Liuii, Horatii, Virgilii cet. libros, accurate et grammaticae interpretari sciamus? Abunde est nobis, futuris oratoribus sacris, si libros diuinitus promulgatos utrunque legimus, eorumque verba Ebr. vel Gr. reddimus aut latinis aut theodiscis; si compendia nostra thetica, moralia, homiletica cet. satis intelligimus; si orationum culam probabilem conficere atque ad mulierculas perimouendas habere possumus. Quae si didicimus, satis eruditi et digni sumus, qui munus aliquod sacrum rite et ambire et ornare queamus. Praeterea si magistri nostri semel iterumque clamant, legendos esse praefatos auctores in aliis ideo, vt gustatum formemus nostrum: possumus id, quod sequi debemus, adsequi multo breuius ac facilius, nimirum, legendo aut eorum versiones, aut nostratum apologos, poemata, fabulas romanenses cet. Inde addiscere licet ingeniosas dicendi scribendique formulas, artificiosam verborum iuncturam, aliaque necessaria, vt apte, ornate, copiose scribamus. Videmus hunc Titium, concionantem e suggesto, mereri omnium applausum, quanquam ne epistolam quidem latinam interpretari, nedum scribere, neu Graeca aut Ebraica legere possit. Quid igitur magno labore, multisque vigiliis discamus linguas illas mortuas, non necessarias, nisi eis, qui in scholarum umbris delitescunt. Eiusmodi causis, aequae falsis ac leuibus, aliisque praediuicatis opinionibus capti et decepti, festinant quam ocissime ad doctorum Academicorum scholas, eorum in primis, qui hermenevticas aut homileticas profitentur institutiones: in quorum praelectionibus satis quidem assidui auditores sunt, sed operam admodum leuem impendunt theologiae theticae, cuius loca probantia nec intelligunt ipsi, nec interpretari possunt, adeoque ignorant, num id, quod debent, demonstrent; multo vero leuiorem reliquis disciplinis, vt, Philosophiae, Mathematicae, Historiae quam vniuersae, tum ecclesiasticae cet. non nisi in conficiendis orationeulis occupati, vt quam primum ambire possint aliquod munus sacrum, ac mirifice sibi placentes, si quo loco per habitam orationem plebeculae beneuolentiam et applausum nacti sunt. At vero quam miseri inde nascantur theologi, vbique locorum conspicui potest. Isti enim homunciones, quoniam haud versarunt manu diurna nocturnaue exemplaria gr. et lat. nec in his interpretandis exercitati satis sunt, damnum duplex inde faciunt, necesse est. Nimirum nec libros sacros recte possunt interpretari, nec Criticam satis scite adhibere; hoc tempore in primis necessarium, ex quo viri, singulari ingenio atque eruditione excellentes, missa opinione praediuicata, quae ex Iudaeorum scholis in nos propagata est, codici Ebraico idem illud praestare coeperunt, quod a Millio ac Wetstenio constat. N. T. libris praestitum esse. Quod duplex incommodum paullo vberius tractare volumus, vt iuuenes, disciplinae nostrae alumni, circumspectius ac prudentius agere incipiant, et exemplaribus gr. et lat. saepe multumque lectis, viam sibi patefaciant ad summam veri theologi laudem consequendam.

Laudabili sane ac prudenti consilio constitutum a maioribus est, vt in scholis publicis explicentur auctores gr. et lat. quum ob causas alias, tum hanc praecipue, quo iuuenes ex iis crebro interpretandis sensum pedetentimque discant artem interpretandi, et per eiusmodi repetitam exercitationem assequantur facultatem boni interpretis, qui, rebus ad tale negotium necessariis ornatus (v. Ernesti *Is ravn* Instit. Interp. N. T. p. 4) quemcumque librum recte et grammaticae interpretari possit. Id quod, si quisquam alius, optime vidit Iulianus ille, quem vulgo Apollatam vocant: qui quum pueros sciret ex librorum classico-

rum

rum interpretatione assequi facultatem explicandi Scripturam S. edicto promulgato vetuit, ne eos in scholis legerent amplius: ea fretus spe, fore, vt talis exercitatio ipsis interdicta, libros sacros intelligere atque interpretari haud possent, adeoque legere in posterum nollent. Qui quam recte viderit, satis demonstrant saecula illa Barbara, quibus monachi, quoniam in Homeris, Herodoti, Thucydidis, Ciceronis, Liuii, interpretatione non versabantur, libros sacros similiter interpretari non poterant. Quo ipso religionis christianae puritas penitus collapsa est; nec restituta ante, quam homines e lectis scriptoribus gr. et lat. artem interpretandi didicissent, eaque instructi ad sacrarum literarum lectionem adirent. Equidem non ignoro, esse, qui se putent eiusmodi facultatem assequi posse ex scientia praeceptorum de modo interpretandi, adeoque praestantissimos se fore sperent interpretes, si quam diutissime eorum aut scholas frequentent, aut libros legant, qui interpretandi praecepta tradunt. Sed egregie falluntur isti homines, si cum praeceptis regulisque sibi traditis vsum nolunt coniungere, nec frequenti exercitatioe potius, quam ieiuna praeceptorum scientia boni fieri interpretes. Quod enim in omni arte est tenendum, ad quam adhibenda est actio quaedam, non sola mentis agitatio, quod nemo, quantumvis eius praecepta perceperit, quicquam magna laude dignum sine vfu et exercitatioe consequi possit, id de interpretandi arte vel maxime verum est. Atque vt nec boni ratiocinatores putandi sunt ii, qui quidem sciunt, quid sit numerus, quibusue legibus aut addi, aut deduci, debeat, ni vfu etiam et exercitatioe didicerit arithmetica soluere problemata; nec pictores excellentes, qui, quamuis egregie nouerint corporum magnitudines ac dimensiones, positurae item, chromatices, tonorum, luminum et umbrarum rationem, nunquam tamen consuetudinem exercitatioemque ceperint effigies depingendi: ita iuvenes isti nullo modo iudicari possunt boni interpretes, qui artis praecepta perceperere quidem, libros vero bonos interpretati nunquam sunt, nec facultatis suae periculum fecere vllum. Quam vt vfu et exercitatioe consequantur futuri theologi, diu multumque exercitandi sunt in libris scriptorum profanorum, quo non nisi ingenio literarum disciplinis subactis accedant ad interpretationem librorum diuinitus promulgatorum. Vt enim initio, vbi satis idonei exercitatioe necdum sunt, fallantur; tamen non errant, nisi in rebus leuibus ac parui momenti, neque vero in rebus illis grauissimis, quae libris sacris pertractantur. Falli enim in his interpretandis longe grauius ac periculosius est, quam quidem in illis. Sed qui in eis aliquandiu recte prudenterque versatus, consuetudinem interpretandi exercitatioemque cepit, is demum cum fructu aggredi potest librorum sacrarum interpretationem, vt, epistolarum D. Pauli, quas praeterquam qui in Thucydeis libris multum exercitatus est, satis scite et acute explicabit nemo. Quare qui hanc viam ac rationem deserit, nec ingenii sui vires diu multumque periclitatur in libris profanis, antequam sacros sibi sumat explicandos, is profecto nunquam bonus interpres erit, nec textum S. grammaticae interpretabitur; quin saepe numero vehementer decipietur, nubem pro lumine, h. e. sensum fictum ac commentitium loco vere grammaticae amplectendo. Hinc non raro audimus legimusque interpretationes (si nugae ita appellare licet) quae in lusus inanes, saepe etiam ridiculos abeunt. Quo fit, vt turpiter se dent earum iactatores, et a viris prudentioribus rideantur. Id quod non potest, quin multis aliquando contingat iuuenibus: siquidem haud pauci hodie Academiae stadia ingrediuntur, in interpretatione scriptorum gr. et lat. adeo non exercitati, vt potius omnibus praesidiis, ad id negotii pertinentibus, careant. Sed quum librorum sacrarum interpretatio finimum sit idemque difficillimum theologi munus: quisque harum rerum prudens videbit, quales isti futuri sint theologi, qui difficillimo, quod ipsis incumbit, munere perfungi recte nequeant. li.
perspecta

perspecta demum sua in hoc literarum genere incitia, non poterunt non vehementer queri de tempore male constanti, quod non adhibere ad acquirendam veram interpretandi artem, ex auctorum classicorum lectione atque interpretatione grammatica adipiscendam.

Deinceps (vt erat propositum) de Critica, eademque sana prudentique dicitur: quam iuvenes, qui auctores gr. et lat. non satis accurate tractarunt, loco et tempore adhibere adeo non possunt, vt eos potius, audito saltem eius nomine, statim exclamare audias, et in ipsius amatores debacchari, per causam textus S. defendendi, de cuius integritate ac certitudine actum fore existimant, nec amplius sciri, quae vera sit ac genuina Cod. S. lectio, si *κρίσις* in libris diuinitus promulgatis adhibere liceat. Sed quod factum est iam tritum sermone proverbium, Artem non habere oforem, nisi ignorantem, id de his etiam homuncionibus affirmari recte potest. Eorum enim plerique solent, vel capiunt saltem, Criticam in inuidiam adducere, quamuis ignorent, quid per eam intelligi debeat, et quae eius aut in libris emendandis sit ratio, aut in lectione atque interpretatione libri cuiusque utilitas singularis. At vero, qui gr. et lat. scriptores recte et prudenter tractauit, is per ipsum vium exercitationemque doctus, nullum didicit esse librum, licet summa cum cura et sollicitudine descriptum, typisue impressum, ab omni errorum labe immunem. Inde boni eiusdemque prudentis interpretis esse nouit, antequam de loci cuiusquam interpretatione cogitet, primum textus rationem habere, atque examinare, verane sit eius lectio, an corrupta? tum si quicquam in eo peccatum esse videat, confugere ad libros alios aut typis impressos, aut MSS. si quos ad manum habeat, atque inde veram et genuinam lectionem eruere, locoque de quo quaeritur, restituere: eoque facto demum de illius interpretatione cogitare. Quae erat via et ratio, quam sequebatur in libris Hippocratis legendis interpretandisque Galenus, qui variis locis praestantissimos verae Criticae canones et sanxit, et exsequutus ipse est: ad cuius viri grauiissimi exemplar vt omnes sese componere velint, qui in his literis versantur, recte optat Wower. de Polymath. c. 18. cui quidem me haec debere fateor. Interim cum sequi subinde iubent optimi *ἐξηγησεως* magistri: quin, quotiescunque opportunitas datur in gr. et lat. scriptoribus legendis, eiusmodi exercitationibus assuefaciunt adulescentes, disciplinae suae alumnos, vt audito Critices nomine adeo non palleant, vt potius leges et regulas illius scite et in tempore adhibere possint. Qui si ex tractandis auctoribus profanis (in quibus minus periculosum est errare atque labi) consuetudinem exercitationemque *κρίσεως* ceperint, et ita demum, nullis imbuti opinionibus praecudicatis aliusue peruersis sententis, quales e scholis multorum hauriri solent, aggrediuntur librorum sacrorum, graeae vel ebraeae scriptorum, lectionem, facile intelligunt; his idem illud, quod profanis constat, contigisse, in quos aut ineuria incitiae librorum, aut intempestius emendandi studio, varii irrepererunt errores, qui non nisi per Critices praecepta tolli et possunt et debent etiam. Hinc etsi non ignorant, integritatem librorum s. a multis, et recte quidem, affirmari; tamen non miraculosam aliquam statuunt, quae extiterit, si Deus lapsus librorum singulos vi sua diuina impedisset: quod nec factum esse res ipsa loquitur, nec necessarium ad integritatem librorum fuisse, omnium intelligentium iudicio constat, docente S. V. Ernesti l. c. p. 84: et si quem in legendo offendunt locum difficilem, in eius verbis sensus sanus et cum contextu conueniens nullo modo reperiri potest, confugiunt aequae atque in scriptis aliis, ad alios libros, seu typis impressos, seu manu exaratos, eo consilio, vt videant, numquae in illis reperiat lectionum varietas, vnde per Critices regulas

regulas textum in integritatem pristinam restituere, eoque factio sensum loci verum efficere possint. Sed longe aliter faciunt ii, qui in hoc literarum genere minus versati exercitati- que sunt. Isti, quoniam librum quemque, et profanum, et sacrum, quam maxime perfectum atque integrum putant, misere se torquent in eiusmodi locum asperunt spinis- que plenum delapsi, et neglectis *κριστως* sanioris praeceptis, vim verbis inferunt, donec eius aliquem non tam inuenerint, quam per vim extorserint sensum. Quod quanto fiat religionis Christianae damno, apparet eo, quod ipsius cauillatores, lectis huiusmodi inter- pretationibus contortis, friuolis atque insullis, satis quidem audacter, licet perperam, con- cludunt, omnia religionis nostrae capita non firmiter niti fundamentis, quam quae tam misere explicata vident, tam misere demonstrata. Quare in ea sum haeresi, quae tantum abesse existimat, vt viri eruditi, in colligenda varietate lectionum V. ac N. T. occupati, textus S. integritati, ipsique adeo religioni obsint, vt ei potius quam maxime prodesse, eumque in pristinum splendorem dignitatemque restituere videantur. Id quod satis de- clarant Millii et in primis Wetstenii curae, quas ad N. T. Codd. MSS. conferendos, va- rietatem lectionum inde colligendam, adeoque textum S. restituendum, maxima cum laude adhibuerunt. Quae opera si V. T. Codici similiter impenderetur a viris prudentibus et harum rerum intelligentibus, sed maiori cura, quam constat ab Houbigantio factum esse; si ex eius libris MSS. inter se collatis, lectionis varietas colligeretur; si denique, textu ebr. ad versiones vetustissimas examinato, omnis in illis latens differentia sedulo notaretur: tum profecto fore putarem, vt multa loca, quae iam crux interpretum et dei et esse so- lent, ex aliis libris haberentur aliter, ita, vt interpretes absque vlla contortione ac vi ver- bis illata, sensum eorum optimum et praestantissimum inuenirent. Quot tum euanescent difficultates! quot minutiae grammaticae! quot interpretationes friuolae ac contortae! Quanta lux accenderetur multis locis difficillimis! quam egregie restitueretur textus S. integritas! Liceat nobis nostram sententiam exemplis demonstrare, quae ex Beniamini Kennicotti Diss. altera *super Ibraici textus impressi statu* repetimus eo, quod liber lingua Anglo-Saxonica scriptus in paucorum manibus est, vt lectores nostri ipsi constituere possint, quas utilitates sperare debeant ex simili opera in N. T. libris adhibita. Auctor, quem dixi- mus, eruditissimus ostendere vult p. 369 199. extare in libris f. loca obscura propterea, quod verba saepe, librariorum culpa, alterum in alterius locum, migrarint. Cuiusmodi vocant *μεταθεσι* fieri posse, demonstrat locis quibusdam Gr. vnde rem sic se habere conitat: v. c. *Es. 65, 1.* legit Cod. Vat. *ἐμφανης ἐγεννηθην τοῖς ἐμοῖς ἐπερωωσιν, εὐγενθην τοῖς ἐμοῖς ἐμὴ ζῆσιν*. Alex. vero: *ε. ε. γ. ε. μ. ζῆσιν, ε. γ. ε. μ. ἐπερωωωσιν*. *Psal. 32, 5.* habet prior: *ἦν ἀμαρτίαν μὲ ἐγνωρίσα, καὶ ἦν ἀνομίαν μὲ ἐκ ἐκαλυψα* posterior autem: *ἦ ἀνομίαν μ. ε. κ. γ. ἀμαρτίαν μ. ε. ε.* *Philipi. 1, 3. 4.* *εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μὲ ἐπιπάσῃ ἡ μνεῖα ὑμῶν* — *ὑμῶν μετὰ χαρᾶς ἦν δεησιν ποιούμενος* in quo loco, auctore alio viro erudito, coniecit, *μνεῖα* et *δεησιν* esse transpositas, legique debere: *ε. γ. θ. μ. ε. π. γ. δεησιν υ.* — *υ. μ. χ. γ. μνεῖαν π.* Quo facto accedit ad rem ipsam, cuius causa haec praemisera, atque ad *Es. 53, 9.* *במתו עוור ואת קברו נתן ואת נפשם נתן ואת* atque cum iniquis sepulcrum fecit sum, et cum diuite in morte sua, obseruat, miram commentatorum implicationem con- tortionemque, vt horum verborum sensum aliquem efficiant, irritos eorum hac in re la- bores, atq. discrepantiam interpretationum satis indicare, mendum quoddam delitescere in

textu

QX II, 137

X 359 8834

V018

textu Ebr. Quod quaerendum esse censet in voculis קב רי et במתו (pro במתו), transpositis. Quarum altera si in alterius migret locum, et וירן reddatur, נאז' ונגע-ואדנ', et suspensus fuit, quemadmodum א' ו' eandem vocem 2. Sam. 18, 9. verterunt, verba haec: וירן את רשעים במתו ואת עשירי קברו, sensum habere putat longe praestantissimum, et historiae f. conuenientem. Nimirum: atque suspensus fuit in morte cum impiis; et cum viro diuite erat eius sepulcrum. Cui coniecturae, ad Grabii et Lamberti Bos exemplum factae, adiicit aliam, Ios. 24, 19. vbi eundem illum Iosuaam, qui Iudaeos paullo ante ad pietatem reuerentiamque aduersus Deum O. M. adhibendam cohortatus erat, iisdem hominibus dixisse legimus: Vos non potestis (לא תוכלו) seruire Iouae. Ex quo sequitur, praetorem illum Iudaeorum, si lectio vulgata vera est, sibi ipsi haud constare: quod credere foret impium. Inde coniicit ו' ו' in תוכלו abundare, cuius radix esset non tam יכול potuit, quam כלה cessauit: adeoque scribi debere: ו' ו' לא תכלו non cessabitis, vel ne cessetis. Quo dato, verborum sensus est optimus, qui cum oratoris consilio quam maxime conspirat: Vos ne cessetis colere Iouam: h. e. colite eum nullo non tempore, est enim Deus sanctus cet. Quas coniecturas (cuius postremae Halletus quidam auctor est) huc transferibo, non quo eas absque ulteriori disquisitione ac confirmatione meas faciam, sed tantummodo declarem, quam diuersum de iis sit iudicium virorum Critices aut peritorum, aut expertium. Hi quidem eas, causa nec dicta nec cognita, condemnabunt, metuentes, vt aiunt, ne Cod. Ebr. hoc emendandi studio deprauetur: illis autem omnino dignae videbuntur esse, quae ad fidem Codd. MSS. ac versionum antiquarum examinentur, atque ex his satis confirmatae recipiantur; sciunt enim ex auctorum profanorum lectione, eiusmodi vocum ו' ו' non adeo infrequentes esse, ac facile fieri posse, vt litera ו' et ו' aut omitatur aut interatur. Nos interea de hisce coniecturis nihil certi pronunciare volumus: quin potius accedimus ad id, cuius causa haec scribere debuimus.

Nimirum pio gratoque animo recolenda est memoria B. PAVLLI GOTTLIEB HOFMANNI, SS. Theolog. D. Celeberrimi, ecclesiae olim Annaberg. Pastoris Primarii, et Superintendentis Vigilantissimi, qui eximio instituto aliquam facultatum, quas reliquit, partem scholae nostrae benignissime legauit, ita vt nos, et vnus et disciplinae nostrae alumnis, foenore inde redeunte, aequis partibus, fruamur. Dignus tali beneficio iudicatus est hoc anno


TRAVGOTT ANDREAS BIEDERMANN, Annaberg. iuuenis patris Consultissimi iactura, fortunae malignitate, et animi ingeniique bonitate commendabilis: qui in honorem ac memoriam Viri tam liberalis orationem habebit De sacerdotum officiis, quae ad societatem tuendam seruandamque adhibere debent.

Cuius declamationem vt INSPECTORES, PATRONI atque FAVTORES, pro cuiusque ordine ac dignitate colendi et suscipiendi, benigne audire velint, vehementer etiam atque etiam rogo. Scrib. Annabergae a. d. x Kal. Febr. A. S. R.

CLXIII

mi





B.I.G.

Farbkarte #13

B. m. II,

II i
137

Q. D. B. V

RETEM AC CRITICVM SACRVM
CTIONE AVCTORVM CLASSICORVM
FORMANDVM

DEMONSTRAT

S I M V L

IONEM HOFMANNIANAM

PSO PAVLLI CONVERSI DIE

QVI EST XXV IANVARIII

H. L. Q. C

HABENDAM

INDICIT

RGIVS HENRICVS MARTINI

A. M. ET SCH. R



ANNABERGAE

EX OFFICINA FRIESIA